

179. *Possunt tamen gesta per solum capitulum postea ratificari a praelato, si ita expedire viderit.* — Insuper est notandum, quod gesta per solum capitulum, sive conventum, possint postmodum ratificari a praelato, si ita ecclesiae, seu monasterio expedire viderit: unde si conventus egit in iudicio absque consensu praelati, et causam obtinuit, potest sententia in ejus favorem lata ratificari a praelato per subsequentem consensum. Glossa in d. c. *Edoceri*. §. *Debeant*; et Abbas, ibid. n. 12, et Felinus, n. 8. *de Rescript.*; et Pirhing, h. t. n. 28, et alii. Idque probatur ex can. *Si qua de rebus*. 12. q. 2. ubi alienationem factam per capitulum, etiam sede vacante, potest episcopus postea creatus ratam habere, si expedierit Ecclesiae. Concordat c. *Cum non jam pridem*. 3, *de His quae sunt a praelat.* etc. ubi dicitur, quod defectus consensus per subsequentem ratihabitionem possit suppleri.

180. *De bonis omnino discretis potest capitulum, seu conventus, agere sine ulteriori consensu praelati.* — Resp. III. Loquendo nunc de bonis omnino discretis, seu quae inter praelatum et conventum tam quoad rem, quam quoad administrationem sunt divisa, dicendum est, quod de his capitulum, sive conventus possit agere, ac respondere in iudicio, non requisito ulteriori consensu praelati, nisi causa foret ardua, magnique praedicti. Ita Abbas in cit. c. *Edoceri*. n. 5; et Felinus, ibid. n. 3. §. *Amplia etiam, de Rescript.*; Pirhing, n. 26. et alii. Nam regula est, quod habens legitimam administrationem, possit agere sine consensu alterius; ut post Innocentium loquitur Abbas, loc. cit. n. 6. ad hoc allegans L. ult. ff. *Quod cujusque universit. nomin.* Atqui circa bona omnino discreta, capitulum seu conventus habet legitimam administrationem; alioquin enim illa non essent quoad administrationem divisa; ergo.

181. *Nisi causa foret ardua, magnique praedicti.* — Additur notanter, « nisi causa foret gravis, » etc. Quia in arduis negotiis, sicut praelatus nihil potest agere sine consensu capituli, seu conventus, haud obstante, quod ipse sit caput, ac de jure habeat administrationem: ita multo magis capitulum, seu conventus, in causa ardua non potest agere sine consensu praelati, haud obstante administratione sibi caeteroquin concessa. Istud enim exigit communio atque unitas corporis mystici, quae est inter praelatum et capitulum, sive conventum; cit. c. *Novit*. 4. *de His*

quae sunt a praelatis, et c. Requisivisti. 15. *de Testament.*

182. *Ille non potest agere, qui non potest rem alienare, an, et quando verificetur?* — Dices: Ille non potest agere in iudicio super re aliqua, qui non potest hanc alienare; ut l. *Ait praetor*, ff. *de Jure deliberand.* ibi: « Est enim absurdum ei, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere. » Atqui conventus nequit alienare sine consensu praelati, imo nec praelatus sine ejus consensu, ergo nec agere. Resp. majorem non esse indistincte veram, ut inquit Abbas in cit. c. *Edoceri*, 6. *de Rescript.*; nam procurator simplex potest agere in iudicio, c. *Qui generaliter, de Procuratorib.* in 6. et tamen non potest alienare, nisi habeat liberam administrationem, l. *Procurator tutorum*. ff. eod. Similiter pater super bonis adventitiis filii agere potest, et tamen non potest alienare, l. *Cum non solum*. C. *de Bonis quae liberis*, etc. et L. I. *de Bonis maternis*. Unde dicendum, quod is, qui non potest alienare, nec etiam possit agere nomine proprio, *De bonis* ut est casus in cit. l. *Ait praetor*. Secus, si agat nomine alieno: prout praelatus vel conventus circa bona omnino discreta, agit nomine Ecclesiae, seu monasterii. (ADNOTATIO XXX.)

183. *In causis civilibus non est conveniendus religiosus, sed monasterium.* — Queritur III. Utrum habens actionem contra religiosum, debeat ipsum convenire, vel potius monasterium ejus? Resp. I. In causis civilibus non est conveniendus religiosus, sed monasterium ipsius. Ita Glossa in can. *de Persona*. 11. q. 1. §. *Aut monachum*; et archidiaconus ibid. n. 6; Speculator tit. *de Reo*. n. 19. et alii. Ratio est clara: quia monachus, aut religiosus solemniter professus, nihil habet proprium, can. *Non dicatis*. 12. q. 1. sed quidquid acquirit, puta ratione successionis ab intestato, aut hujusmodi, acquirit monasterio; Auth. *Ingressi*. C. *Episcop. et cleric.* et can. *Quia ingredientibus*, 19. q. 3. et c. *Quanto*. 7. *de Offic. ordinar.* et c. *Cum ad monasterium*. 6. *de Statu monach.* ergo in causis civilibus non ipse, sed monasterium conveniri poterit, ac debet.

184. *Secus in causis criminalibus, seu quando convenitur religiosus ex delicto.* — Resp. II. Nihilominus in causa criminali, sive ex delicto, convenitur ipse religiosus, non vero monasterium. Ita archidiaconus cit. n. 8. Joan. Andreas in c. *Mulieres*. n. 2. h. t. in 6. post Innocentium c. *Cum olim*. li. 6. II. *de Privileg.*

Speculator, ubi supra, id limitans, dummodo non agatur contra monachum quoad pœnam pecuniariam eo quod proprio careat; et alii. Desumitur hoc ex c. *Dilectus filius*, A. 3. *de Simonia*, ubi contra religiosos, qui labe simoniae fuerunt maculati, accusatio potest canonice institui. Accedit ratio: quia hoc ipsum videtur exigere sanctitas locorum sacrorum, sive monasteriorum: quae proin ex delicto monachi non tenentur, nisi forsitan aliquid ad ipsa inde pervenisset, aut in eorumdem utilitatem conversum fuisset, c. *Quod quibusdam, de Fidejussorib.* Unde ex delicto, seu hæretica doctrina Joachim abbatis, nullatenus tenetur monasterium Florense, c. *Damnatus*. § *In nullo de summa Trinitat.* Nam, ut habet reg. 76 juris in 6, « Delictum personae non debet in detrimentum ecclesiae redundare. »

§ VIII.

RESOLVUNTUR ALIÆ NOTABILES QUÆSTIONES CIRCA MATERIAM PRÆSENTIS TITULI.

185. *Acta iudicii, et acta causae, quid et in quo differant?* — Queritur I. Utrum acta unius iudicii habeant suum effectum, fidemque faciant in alio? Ubi praenotandum cum Glossa in Clement. *Sæpe contingit*. §. *Defensiones, de Verb. signif.*; Abbate in c. *Venerabilis*. n. 14. h. t.; Bartolo in l. *Isapud quem*. § *Secundo casu*. C. *de Edendo*; Maranta in *Speculo aureo* part. V. n. 53. et aliis, quod alia sint acta iudicii, alia vero acta causae, seu litis. Acta iudicii dicuntur illa, quae respiciunt, seu concernunt ordinationem iudicii: ut sunt libellus, litis contestatio, terminus peremptorius, satisfactio, et alii similes actus iudiciales, qui tendunt ad ordinandum processum iudicium, ejusque solemnitates observandas. Acta causae econtra vocantur illa, quae concernunt indagacionem veritatis, justamque litis decisionem respiciunt: prout sunt depositiones testium, instrumenta, confessiones, et alia hujusmodi acta probatoria, utpote quae tendunt, atque ordinantur ad justam decisionem litis. Quo praenotato,

186. *Perempta instantia, pereunt acta iudicii.* — Resp. I. Perempta instantia, pereunt acta iudicii, sicut non habent suum effectum in alia instantia. Ita Abbas cit. n. 14. post Innocentium in c. *Causam quae, de Testib.*; Bartolus, ubi supra Jason l. *Is apud quem*. n. 19. C. *de Edendo*; Maranta cit. n. 53. et alii.

Idque desumitur ex l. *Cum lite mortua*. ff. *Judicatum solvi*: ubi dicitur, quod « lite mortua (seu perempta instantia per lapsum triennii, aut absolutionem ab ejus observantia), nulla res sit: » sicut non valent prima acta, ut inquit Glossa un. ibid. allegans ad hoc etiam l. *Properandum*. § 1. C. *de Judiciis*.

187. *Acta causae in uno iudicio fidem faciunt in alio.* — Resp. II. Acta causae, seu acta probatoria coram legitimo iudice in uno iudicio, fidem faciunt in alio iudicio, quando inter easdem personas, atque in ordine ad eundem effectum producuntur: dummodo non varietur modus agendi. Ita Abbas in c. *At si clerici*. n. 12. h. t. et amplius in c. *Causam quae*. n. 1. et seqq. *de Testibus*; Gailus lib. I. *Practice*. observat. 103. n. 1. et seqq.; Pirhing h. t. n. 96. post decium in d. c. *At si clerici*. n. 15. et Alexandrum de Nevo ibid. n. 33; San-nig h. t. cap. v. n. 3. et alii. Idemque desumitur tum ex cit. c. *Causam quae* 11. *de Testib.* ubi attestaciones in uno iudicio receptae, faciunt fidem in eadem causa, et inter easdem personas coram alio iudice; tum etiam ex cap. II. *de Exceptionib.* in 6. ubi Summarium habet, quod « exceptio rei iudicatae per ecclesiasticum iudicem admitti debet in foro saeculari, et e converso. » Hoc enim non procederet, nisi acta causae in uno iudicio, fidem facerent in alio; saltem quando inter easdem personas, et ad eundem effectum producuntur.

188. *Quando inter easdem personas.* — Additur notanter, « quando inter easdem personas, » etc. Alioquin enim, sicut res inter alios iudicata aliis non nocet, L. I. et seqq. C. *Quibus res iudicata non nocet*: ita nec acta causae inter certas personas praedictant aliis, dummodo hi non mandaverint, nec acta illa ratificaverint; prout limitatur in cit. L. I. C. *Quibus res iudicat.* et dummodo vae plures personae non nabeantur loco unius. Bartolus cit. l. *Is apud quem*. § *Quandoque*. C. *de Edendo*, id probans ex l. *Haeredes*. ff. *Familiae heriscundae*. Quanquam per hoc non negetur, quod ejusmodi acta probatoria, etiam inter personas alias producta, aliqualem praesumptionem faciant, licet non plenam fidem, Abbas d. c. *Causam quae*, n. 4. *de Testib.* et Bartolus l. *A sententia*. ff. *de Appelat.* et favet textus in l. *Si duo patroni*. § 1. ff. *de Jurejurand.*

189. *Atque in ordine ad eundem effectum producuntur.* — Additur ulterius, « et ad eundem effectum, » etc. Prout v. g. testes in

prima instantia recepti, publicatis semel eorum attestacionibus, fidem faciunt in secunda instantia; ut c. *Presentata*. 50. juncta Glossa *ŷ. Acta. de Testib.* et l. ult. C. eod. ac notat Gailus cit. lib. I. observat. 103, n. 2. hanc appellans communem opinionem. Nam utraque instantia tendit ad eundem effectum.

190. *Acta coram judice ecclesiastico fidem faciunt coram sæculari, et econtra, ut unus adjuvet alterum in compescendo malos. Judex ecclesiasticus potest implorare brachium sæculare, etiam per censuras.* — Similiter acta coram judice ecclesiastico fidem faciunt coram judice sæculari, et econtra, ut unus adjuvet alterum in compescendo malos, et defendendo bonos: nam utraque potestas, ecclesiastica videlicet ac regalis, mutuo sese juvare debent, can. *Principes*. et seqq. 23, q. 5. et can. *Cum ad verum*. dist. 96. Unde, si opus fuerit, potest judex ecclesiasticus implorare publicum auxilium, sive brachium sæculare, cap. i. *de Offic. ordinarii*. Imo potest judicem sæcularem ad hoc compellere, cap. ii, *ŷ. Per temporalem. de Maledicis*. etiam per censuram ecclesiasticam, can. *Administratores*. 23, q. 5. ac notat Glossa in cit. cap. i. *ŷ. Publicum. de Offic. ordin.* et ibi Abbas, n. 11. amplius hoc declarans.

191. *Acta probatoria in judicio summario, fidem non faciunt in ordinario, et cur?* — Ad dicitur tandem in data n. 187 conclusione, « dummodo non varietur modus agendi. » Sic enim acta probatoria, seu attestaciones receptæ in judicio summario, fidem non faciunt in judicio ordinario, c. *Veniens*. 38. *de Testibus*. Variatur enim modus agendi: quia in judicio summario sufficiunt probationes summariter factæ, etiam lite non contestata, Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* non item in judicio ordinario, cap. un. *de Litis contesta.* Abbas in d. c. *Causam quæ*. n. 6. *de Testib.* citans Innocentium.

192. *Hoc tamen limitatur.* — Quod si autem testes in judicio summario rite, ac servatis omnibus solemnitatibus juris, tanquam in plenario producti, et examinati fuissent; tunc eorum attestaciones etiam in judicio ordinario fidem facerent. Gailus lib. I. *Pract.* observat. 104, n. 4. citans Paulum de Castro, consil. 3, n. 3; Ancon. de Butrio in c. *Fraternitatis. de Testib.* et Alexandrum in l. II, C. *de Edendo*, ac alios. Et favet textus in cit. c. *Veniens*. 38. *de Testib.* ubi ideo non valent attestaciones in judicio summario receptæ,

quia fuerunt « lite non contestata » receptæ. Secus ergo dicendum, quando prævia liti contestatione, ac servatis aliis juris solemnitatibus, receptæ fuissent: sic enim non varietur modus agendi.

193. *Similiter acta probatoria in judicio civili, fidem non faciunt in criminali: bene tamen econtra.* — Similiter acta probatoria in judicio civili, fidem non faciunt in judicio criminali. Glossa l. *Si quis ad se feudum. ŷ. Destinatus*. C. *Ad legem Juliam de vi publica*. Abbas cit. n. 6. et alii. Et ratio est, quia in criminalibus requiruntur probationes luce meridiana clariore, l. ult. C. *de Probationib.* non autem in civilibus. Secus dicendum, quando probationes sunt factæ in causa criminali: tales enim a fortiori fidem faciunt in causa civili inter easdem personas, juxta Abbatem, loc. cit.

194. *Acta in judicio inducunt notorium, et quomodo?* — Dices. Acta in judicio inducunt notorium, cap. ult. *de Cohabitat. cleric.* et c. *Cum olim*. 24. *de Verb. signif.* ergo acta in uno judicio, secuta sententia diffinitiva, semper fidem faciunt in alio. Nec obstat, quod sint aliæ et aliæ personæ, aut quod ad alium finem agatur; ut nonnulli distinguunt. Nam contra est: quia veritas non est opprimenda, et angustianda talibus vanis subtilitatibus, arg. can. *Ecce autem*. 24. q. 3. et c. *Abbat. sane*, circa fin. *de Sentent. et re judicat.* in c. Atqui acta in judicio post sententiam diffinitivam, a qua non extitit appellatum, sunt manifeste vera; ergo. Resp. negand. consequent. Nam, quod acta in judicio inducant notorium, solummodo procedit de notorio juris: unde hoc ipso ita species notorii debet habere validitatem, quæ in jure consistit, ut inquit Baldus in c. *Vestra*. n. 1. et Fagnanus ibid. n. 73. *de Cohabitat. cleric.* Atqui jus ipsum disposuit, atque decrevit, ut acta unius judicii fidem non faciant in alio, quando variatur modus agendi, juxta hactenus dicta; et consequenter isthæc acta non habent validitatem in jure consistentem.

195. *Res judicata, pro veritate accipitur, quomodo?* — Ad confirmationem negatur minor. Licet enim « res judicata pro veritate accipitur, » per textum in l. *Res judicata, ff. de Reg. jur.* id tamen solum fit per quamdam præsumptionem juris; sive ex eo, quod propter auctoritatem judiciariam omnia præsumantur rite ac recte gesta, unde oritur præsumptio tam respectu rectitudinis processus, quam justitiæ. Non tamen semper res judi-

cata est manifeste vera: quia « sæpe non deficit jus, sed probatio, » ut dicitur l. *Duo sunt Titii. ff. de Testament. tutel.* Et facile contingere potest, quod succumbens in causa civili non appellet, sed ob tædium diuturnioris litis ultro solvat id, ad quod condemnatus fuit: qui tamen merito appellare potuisset; imo et ad evitandum gravius præjudicium appellasset, si credidisset, quod exinde etiam criminaliter contra ipsum procedi valeret.

196. *Utrum valeant gesta per judicem putativum? Et ratio dubitandi, ac negativam tenendi.* — Quæritur II. Utrum gesta per judicem communiter existimatum, qui revera talis non est, sint valida? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est: quia sententia a non suo judice lata non tenet, c. *At si clerici*. 4. h. t. et l. ult. C. *Si a non competente iudice*, etc. Atqui judex mere existimatus, revera non est judex; ergo. Nec juvat recurrere ad communem errorem. Nam contra est: quia ex una « parte privatorum consensus judicem non facit eum, qui nulli præest jurisdictioni, » ut dicitur in l. *Privatorum. C. de Jurisdic. omn. judic.* Ex altera vero parte nec superior censetur cum inhabili dispensare, aut ipsi jurisdictionem conferre; vel enim dispensare non potest, vel saltem dispensare non intendit; « cum nullus sit errantis consensus, » l. *Non idcirco, C. de Juris et facti ignorantia*. His tamen non obstantibus,

197. *Valent gesta per judicem putativum, qui revera talis non est, si concurrant certæ conditiones.* — Resp. II. *Gesta per judicem putativum, qui revera ex aliquo defectu legitimus non est, valida sunt; dummodo concurrant certæ conditiones proxime enumerandæ.* Conclusio sic proposita, est communis; atque clare habetur decisa in l. *Barbarius. ff. de Offic. prætor.* ubi occasione Barbarii (qui, cum servus fugitivus esset, Romæ præturam petiit, et prætor designatus est) quæritur de validitate suorum actuum judicialium, ac resolvitur in hæc verba: « Si servus, quamdiu latuit, dignitate prætoris functus sit, quid dicemus? An quæ dixit, quæ decrevit nullius fore momenti? an fore, propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, vel lege, vel quo alio jure? Et verum puto nihil eorum reprobari: hoc enim humanius est, cum populus romanus etiam servo potuisset decernere hanc potestatem. » Hæc ibi. Concordat l. II. C. *de Sentent. et in-*

terlocut. omn. judic. et can. Infamis persona. 3, q. 7, *ŷ. Interdum*. Accedit ratio: quia ob communem utilitatem, atque ad tollendum gravissima incommoda et scandala, quæ cæteroquin sequerentur, jus utrumque decrevit, stante communi errore gesta per putativum judicem esse valida, ac si verus judex existeret. Unde Glossa in cit. l. *Barbarius. ŷ. Re-probari*, inde concludit, quod « circa factum error communis jus facit. »

198. I. *Ut interveniat error communis.* — Resp. II. Inter conditiones requisitas ad hoc, ut acta judicis putativi valeant, ea est præcipua, quod interveniat error communis: hoc est, quod talis communiter existimetur esse legitimus judex. Unde non sufficit error unius, aut alterius, coram judice mere putativo litigantis, si cæteri communiter norunt ejus incompetentiam: nam jura allegata fundant se in errore communi; ut cit. l. *Barbarius*, ibi: « Si servus, quamdiu latuit, cum similibus. Accedit, quod leges ad ea potius aptentur, quæ frequenter contingunt: nam, quæ semel aut bis accidunt, ut error particularis unius vel alterius, contemnunt legislatores, l. *Nam ad ea. et l. Quoniam. ff. de Legib.* Neque enim ex errore particulari sequuntur ea incommoda et scandala, quæ ex errore communi oriri solent, quibusque jus commune occurrere voluit confirmando acta judicis communiter existimati. Concordant dicta superius lib. I, tit. XXVIII. *de Officio vicarii*. *ŷ. 4, n. 100.* ubi cum aliis notatur, valere acta vicarii post mortem sui episcopi longe distantis, quando hujus mors non a solo vicario, sed communiter ab aliis ignoratur.

199. II. *Quod judex ejusmodi sit in possessione sui officii, ex aliquo titulo colorato. Idque exemplificatur.* — Altera conditio requisita ad hoc, ut acta judicis putativi valeant, est illa: quod ejusmodi judex sit in possessione sui officii ex aliquo titulo colorato; qui licet ob occultum vitium sit invalidus, ac proin mere putativus, nihilominus ipsi collatus est a legitimo superiore habente cæteroquin auctoritatem conferendi, seu instituendi in tali officio. Unde sequitur, quod non valeant acta illius, qui se gerebat pro judice, nec tamen erat in possessione officii judicis; arg. c. *Consultationibus*. 19. *de Jure patronat.* ac notat Abbas in c. *Nihil*. num. 11. *de Electionib.*

200. *Acta judicis intrusi non valent.* — Similiter non valent acta judicis intrusi; hoc

est, illius, qui assumpsit officium iudicis absque auctoritate superioris habentis potestatem illud conferendi. Nam jura allegata, quæ valere volunt gesta per iudicem putativum, fundant se in hoc, quod ille habeat titulum coloratum, a legitimo superiore habente potestatem instituendi in tali officio sibi collatum; quamvis hic et nunc ob aliquod occultum vitium sit invalidus, aut jam revocatus: ut patet ex cit. c. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* ubi *Barbarius* antea a populo romano designatus erat prætor, invalide tamen, cum esset servus. Et cit. l. II, C. de *Sentent. et interlocut.* ubi sermo est de eo, qui fuit iudex, seu « arbitrarius datus a magistratibus; » quamvis postea inventus fuerit servus, ut explicat Glossa ibid. §. *Depulsus*. Ita Abbas in cit. c. *Nihil*. n. 11. et Joan. Andreas ibid. n. 28. de *Election.* Speculator tit. de *Instrumentorum editione*. §. *Restat*. n. 32. Sanchez lib. III. de *Matrim.* disp. 22, n. 49. et seqq. plurimos alios pro hac sententia allegans; quamvis nonnulli sufficere velint quemcumque communem errorem cum officii possessione, etiam absque alio titulo per superiorem collato, quorum sententiam idem Sanchez loc. cit. n. 48. adducit.

201. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Et conformiter dictis facilis est responsio ad rationes dubitandi, n. 196. allatas. Imprimis enim c. *At si clerici*. h. t. cum similibus procedit, quando constat, quod quis non sit suus iudex: secus, ubi intervenit error communis, per jura allegata. Ad alteram, seu replicam hujus responsionis dicitur, quod stante communi errore, simulque accedente titulo, saltem colorato, tali iudici putativo conferatur jurisdictio, non a consensu partium, neque a superiore (utpote cum nullus horum sciat illum defectum) sed ab ipsomet jure communi, quod ita decrevit ob bonum commune, et tollenda gravissima incommoda cæteroquin exoritura. (ADNOTATIO XXXI.)

202. *Parochus communiter existimatus, qui nunquam est ordinatus in sacerdotem, invalide absolvit poenitentes.* — Intellige, dummodo jus commune talem defectum supplere, dictamque jurisdictionem conferre possit; prout innuitur in allegata l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* illis verbis: « Cum populus romanus etiam servo potuisset decernere hanc potestatem. » Nam secus dicendum, ubi quid deficit jure divino requisitum: ut si quis communiter existimetur esse parochus, qui tamen nunquam fuit ordinatus in sacerdotem. Talis

enim invalide confert absolutionem sacramentalem, haud obstante communi errore: nam potestas ordinis, jure divino ex parte ministri sacramenti poenitentiae requisita, non potest jure humano suppleri.

203. *Secus si fuerit sacerdos.* — Quod si vero quispiam sacerdos communi errore reputetur parochus, præsertim quando habet titulum coloratum quoad hoc (ut quia a legitimo superiore fuit institutus, institutio tamen sua ob occultum impedimentum ipso jure fuit nulla) valent gesta per ipsum, neque confessiones sacramentales eidem factæ necessario sunt reiterandæ: quia supposita semel potestate ordinis, potest supplere, atque stante communi errore supplet Ecclesia potestatem jurisdictionis, Sanchez, lib. III. de *Matrim.* disp. 22, n. 13. citans alios.

204. *Regula est, quod nemo sit iudex in propria causa.* — Quæritur III. Utrum aliquis possit esse iudex in propria causa? Resp. I. Regula est, quod nemo est iudex in causa propria, l. un. C. *Ne quis in sua causa judicet*. Ubi hujus ratio in æquitatem naturalem refunditur, illis verbis: « In re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. » Unde etiam in simili, nullus idoneus testis in re sua intelligitur, l. *Nullus*. ff. de *Testib.* et l. *Omnibus*, C. eod.

205. *Adeo, ut iudex habens ut privatus consimilem causam, possit recusari ut suspectus.* — Atque hoc adeo verum est, ut si iudex ut privatus habeat pene consimilem causam, quam habet ut iudex, possit recusari ut suspectus, atque a judicando removeri, c. *Causam que*. 18. h. t. idque merito: quia iudex debet omni suspitione sinistra carere, can. *Quod suspecti*. 3, q. 5. Atqui hoc in dicto casu non fieret: siquidem ejusmodi iudex nimis videretur favorabilis parti illi, quæ coram ipso petit pene idem, quod ipse petit coram alio: nam qua ratione is putat æquum, quod petit ut pars, putabit pariter æquum, quod iudicat ut iudex Textus, et Vivianus in cit. c. *Causam que*. h. t.

206. *Data regula in supremis iudicibus, ut Papa, Imperatore, etc.* — Resp. II. Data regula, quod nemo possit esse iudex in propria causa, procedit quidem regulariter, patitur tamen nonnullas fallentias, seu limitationes. Et primo fallit ipsa in supremis iudicibus, qui non recognoscunt superiorem in terris; ut Papa, Imperator, Rex. Nam hoc ipso, quod tales superiorem non recognoscant,

inferiori autem sese submittere nullo jure cogantur, possunt judicare in causa propria. Glossa un. in c. *Cum venissent*. et Abbas ibid. n. 6. h. t.; Bartolus in cit. l. un. C. *Ne quis in sua causa*, etc. idque probans ex l. *Et hoc Titus*. ff. de *Hæredib. instituend.* ubi Titus Tiberius in propria causa sententiam dixisse legitur., Card. Tuschus; litt. I, concl. 403, n. 1 et seqq. et alii. Quanquam consultius, ipsique juri naturali conformius sit, ac de honestate expediat, ut non ipsemet talis princeps iudicet in causa propria, v. g. inter ipsum ac subditum suum exorta; sed hanc aliis dijudicandam committat, arg. can. *Nos si incompetenter*. 2, q. 7. ac notat Glossa, et Bartolus, ubi supra. Antonellus de *Regim. eccles.* lib. VI, cap. XIII, § 3, n. 12. post Graffium, decis. Cas. conscient. part. II, lib. III, cap. IV, n. 5. id ulterius probans ex cap. I. de *Maledic.* ubi Pontifex injuriosa verba in se prolata non per se ipsum punit, sed ea ad terrorem aliorum compescenda committit cuiquam inferiori. Concordat textus in l. I et II. C. « Si adversus fiscum, » etc. ubi Imperator in causa fiscali dat procuratores.

207. *Item ut notoria injuria iudici, vel prælato irrogata; quia is potest imponere poenam a jure taxatam.* — Deinde fallit allata regula in notoriis. Nam, quando factum, v. g. injuria iudici, aut prælato irrogata, notorium est, potest is incontinenti, ac sine alio processu, punire delinquentem, infligendo poenam a jure taxatam. Neque enim in notoriis opus est alio accusatore, c. *Evidentia*. 9. de *Accusatorib.* et c. *Cum sit Romana*. 5. § fin. de *Appellat.* Accedit, quod ubi factum sit notorium, seu injuria manifesta, huicque certa poena est a jure imposita, tunc ipse potius est executor juris, quam iudex; haud obstante, quod cæteroquin procedat in causa propria. Abbas in cit. c. *Cum venissent*. n. 8. h. t.; Pirhing eod. n. 75. istud intelligentes in casu quando poena certa in jure est expressa. Secus, ubi venit poena imponenda arbitrio iudicis. Quia enim tunc non procederet, ut merus executor, sed ut iudex; simulque ob affectum propriæ causæ facile posset in arbitrando excedere modum: hinc licitum foret, ipsum ut suspectum recusare, arg. can. *Quod suspecti*. 3. q. 5. ac notat archidiaconus ibid. n. 7. et Joan. Andreas c. *Cum speciali*. n. 10. de *Appellat.* cum aliis.

208. *Imo et arbitrariam, quando injuria notorie illata est iudici, seu ratione officii sui.* — Quinimo si injuria fuit illata iudici ut ju-

dici, seu ratione officii sui quod gerit, simulque injuria illa est notoria (puta, si quis iudicem pro tribunali sedentem convicietur, vel aliqua in depressionem sui officii injuria coram aliis palam afficiat), potest talis pro qualitate personæ, et delicti magnitudine, incontinenti, ac prætermisso juris ordine puniri, etiam imponendo poenam extraordinariam et arbitrariam, ubi poena a jure non est determinata, arg. can. *Salonitanæ*. dist. 63. juncta l. ult. ff. de *Injur.*; Gailus, lib. I. *Pratic.* observat. 39. n. 1. et 3. citans alios, idque exemplificans in casu, quo quis litteras injuriarum plenas misit ad senatum ob quas ab eodem senatu conjectus fuit in carcerem. Id ipsum patet ex cap. I. de *Pœnis*. in 6. ubi archiepiscopus visitans provinciam, et in se vel suis manifestas offensas passus, propria auctoritate punit notorios injuriantes se, aut familiam suam. Accedit ratio, quia iudex ut iudex injuriatus, et injuriantem puniens, non tam in suo, quam in alieno, seu reipublicæ negotio procedere, et condemnare censetur, arg. l. *Si paterfamilias*. §. *Qui duos*. ff. de *Adoption.* Potest enim, et debet iudex poenalis mandatis jurisdictionem suam defendere, l. I. § 1. ff. *Si quis jus dicenti*, etc. junctis dicendis tit. seq. § 1. n. 11. et 12.

209. *Dummodo poena tendat ad vindictam publicam, et non ad privatum interesse illius iudicis.* — Hoc tamen intellige, dummodo poena tendat ad vindictam publicam, sicque ad terrorem aliorum, et commodum reipublicæ, ob cuius officium læsus fuit; secus, si iudex injuriam passus vellet agere ad privatam vindictam, seu proprium interesse, puta ad pecuniariam poenam sibi applicandam; quia tunc contra eum oriretur suspicio. Abbas c. *Si quis contra*. n. 11. et 17. de *Foro compet.*; Gailus cit. observat. 39. n. 3. Antonellus ubi supra, n. 12.

210. *Regula eadem fallit, quando oppositum cuiquam conceditur a lege.* — Tertio allata regula, quod nemo est iudex in propria causa, procedit, nisi istud sibi concedatur a lege, prout limitat Jason in l. II. n. 107. C. de *Jure emphyteut.* Nam mens ejus est prohibere ne quis propria auctoritate sibi jus dicat: secus, ubi id fit auctoritate legis; Speculator tit. de *Actore*. n. 55, novemdecim tales casus enumerans. Sic enim iudex tum ordinarius, tum delegatus, potest procedere contra eos, qui impediunt jurisdictionem ipsius, illosque distractione ecclesiastica coercere: ut cap. I. de *Offic. delegat.* et cit. cap. I. de *Pœnis*.